

M A H



IN VESTIBULO REGIS PALATII

1 6 1 2





~~GA 27~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

*VI-39.*

SIGNAT. MDCCCXIII.



39

15

A. A.

DISPUTATIO VII.  
IN  
EPISTOLAM  
AD HEBRÆOS,

Complectens ἀνάλυσιν Capitis VI.

*In inclytâ Academia Vitebergensi,*

Privati exercitij gratia proposita

PRÆSIDE

FRIDERICO BALDUINO D.

Professore publico, Ecclesiæ P. & S.

RESPONDENTE

M. JOANNE SCHMID

Vitebergensi

*Ad diem 11. Junij.*



VITEBERGÆ,

Typis Cratonianis, per Joan. Gorman.

ANNO M. DC. VIII.





V I R O

Magnifico & Amplifs:  
Dn. LEONHARTO CÖPPELIO,  
Jcto & Serenissimo Saxonix Electori  
à Consilijs Ecclesiasticis,

*Nec non*

*Consultissimo atq; Clarissimo Viro,*  
Dn. IOHANNI SEUSIO,  
Serenissimo Saxonix Electori à se-  
cretis Sanctioribus,

Patronis, Fautoribus ac Pro-  
motoribus meis magnis & æter-  
nùm colendis,

Disputationem hanc Theolo-  
gicam perpetuæ observantiæ  
& gratitudinis ergò

Dico & confecro

M. Johannes Schmid  
VViteberg.







## CAPUT SEXTUM.



Obaret hoc caput cum fine præcedentis, in quo Apostolus doctrinam de Christo, pro diversitate Auditorum duobus modis proponendam esse docuerat. Aut enim infirmi sunt & in fide nondum satis confirmati, & his initia doctrinæ Christianæ tanquam lactinia veræ pietatis sufficiunt, aut sunt in fide confirmati, quibus solidiore mysteriorum fidei explicatione opus est, tanquam cibo solidiore, quo proveciores vesci solent. Jam itaque in hoc capite ostendit, qua deinceps methodo doctrinam de sacerdotio Christi propositurus sit Hebræis; ea nimirum, quæ non nisi eos deceat, qui præclaros in fide progressus fecerunt, quique in eadem quotidie adhuc proficiunt, quales suos esse Hebræos arbitrabantur. Est igitur hoc caput nihil aliud quam *in d. 2. p. 1. a* quædam ad sequentem tractatum de sacerdotio Christi.

### *Partes ejus dua sunt:*

In primâ, argumento evidentissimo docet, in hoc doctrinæ capite cum Hebræis non tanquam cum rudibus agendum esse, quibus adhuc prima elementa doctrinæ Catechetiæ sint proponenda, *usque ad vers. 9.*

In altera ostendit, utendum esse eo sermonis genere, eaque docendi methodo, quæ perfectos deceat, aut saltem ad perfectionem pleno gradu contendentibus proponenda sit.

### *Prima Pars.*

Superioris capitis versiculo duodecimo meminerat elementorum Doctrinæ Christianæ, eaque rudibus in fide (non secus ac lactinia pueris) proponenda esse monuerat. Jam vero propositurus





rus sublimius aliquid, nimirum articulum de Sacerdotio Christi, præmittit hanc admonitionem; ejusmodi elementa & prima initia fidei omittenda esse, tanquam apud eos, qui indies in fide proficiant & ad perfectionem contendant, *vers. 1.* Intelligit autem doctrinam Catechetica, quæ pueris proponi solet, eamque tribus indigerat appellationibus: 1. Vocat *σχολια τῆς ἀρχῆς τῶν λόγων ἔδεξ, cap. 5, 12.* 2. *λόγον τῆς ἀρχῆς ἔδεξ, c. 6, 1.* 3. *θεμέλιον*: quæ omnia doctrinam Catechetica non extenuant, sed magnopere commendant, tanquam fidei Christianæ principium in primo statim ætatis flore addiscendum, cui cætera religionis mysteria subsequentibus annis feliciter substerni queant. Quid autem voce fundamenti intelligat, mox explicat secundum præcipuas partes doctrinæ Catechetica, quorum quinque recenset.

1. *Resipiscenciam* ab operibus mortuis, quo pertinet decalogus, qui docet, nos naturam in peccatis esse mortuos, teste conscientia nostra & lege Dei, ac proinde nos quotidiana indigere pœnitentia.

2. *Fidem ad D E V M* quo referendum est Symbolum Apostolicum, ubi vicissim eriguntur, qui onere legis consternati fuerant.

3. *Baptismatum doctrinam*, intelligens Sacramentum Baptismi, quo in gremium Ecclesiæ fuimus recepti, & de gratuito Dei erga nos favore certiores redditi. Loquitur autem *πλουτολιπίαι*, non quasi geminus esset Baptismus, unus interior, exterior alter, ut Sacramentarij interpretantur, aut quasi iterato Baptismo opus sit, sed quia duplex est operatio in uno eodemque Baptismo, una ministri affundentis aquam, altera Christi baptisantis Spiritu sancto mediante aqua: vel quia respexit etiam ad miraculosum illum baptismum, quo Christus effudit Spiritum sanctum super Apostolos in Pentecoste, quem Baptismum ignis vocavit Johannes Baptista, *Matth. 3.*

4. *Impositionem manuum*, confirmationem intelligit, qua recens baptisati in primitiva Ecclesia Deo quasi consecrabantur ad vocationem Christianismi sanctè & religiosè obeundam: idque etiamnum hodie fieri consuevit.

5. *Resurrectionem mortuorum iudiciumq; æternum*, quod illam protinus insequetur: quâ parte doctrinæ eriguntur omnes ij, qui hic afflictionem patiuntur immerentes & vicissim in officio continentur metu pœnarum æternarum, quotquot lasciviâ carnis in præcepta rapiuntur. Et hæc erat admonitionis propositio de seponendis illis  
fidei



fidei Christianæ principijs, quæ ipsos jam pridem tenuisse decebat. Rationem consilij jam subjungit ab inutili, *vers. 4.* hoc sensu: Qui fundamentum fidei totum totaliter & totum, id est, consentiente mente atque voluntate excusserunt, illi non possunt renovari ad resipiscentiam, ac proinde ministri Ecclesiæ officium non est, illos denuo in fundamento illo instituere, qui vero perstant in illo fundamento, perfectiore doctrina opus habent, inutilem igitur laborem impenderem, si initia fidei apud vos repeterem. Subsumptio sequitur in altera parte capitis, *vers. 9.* de qua paulo post audiemus. Illustrat autem argumentum commodissimo simili, *vers. 7.* Nam, quemadmodum terra salutari pluvia irrigua, si fructum profert, coloni sui usibus accommodum, vicissim Dei benedictionem sentit, & pro agro fertili habetur, dignaque censetur quæ porrò excolatur; Sin vero nil nisi spinas ac tribulos profert, imbremque secundum frustra excipit, utique & ipsa deseritur & spinæ tribulique igni exuruntur: Ita etiam qui salutarem DEI gratiam non in vanum accepere sed subinde sibi bonos fidei fructus ferunt, hi quotidiana quoque fidei incrementa percipiunt: qui verò capita doctrinæ Christianæ negligunt, imò petulanter voluntarieque abnegant, Spiritum sanctum in semetipsis contristant blasphemijque Christum Salvatorem mundi semel agnitum denuò crucifigunt, & eo ipso testatum faciunt, quod sint indurati, reprobj & ulteriore informatione indigni.

## THESES

### DE APOSTASIA.

#### I.

Testatur Epiphanius lib. 2. cont. hæres. Tom. 1. hæresi 59. Novatianos hoc Apostoli loco, *fieri non potest, ut qui semel sunt illustrati, &c. renoventur per resipiscentiam, &c.* seductos esse in errorem illum inhumanum, qui teste Cypriano (*epist. 53. & 54.*) in diversis concilijs Africanis damnatus fuit, quasi homines post regenerationem semel in peccata lapsi ad gratiam DEI per veram pœnitentiam aditum non habeant.





## II.

Operæ precium igitur est in verum hujus loci ser. sum accuratius inquirere, ex eo que cognoscere quale nam peccatum sit, de quo tam horrenda hic & cap. 10. enunciantur, quod nimirum qui illius rei sunt, neque s. em renovationis, neque pro peccato hostiam habeant.

## III.

Atque hic initio sciendum est, agere Apostolum (quod constat ex omnibus circumstantijs) de tali peccato, quod sit *ἀνομία* quædam, seu defectio & discessio ab alio: ideo *vers. 1.* fundamenti meminit, & *vers. 6.* prolapsus ab illo fundamento, ita ut hoc peccatum, de quo Apostolus, *ἀνομία* quædam sit, licet non omnis apostasia in hoc peccatum impingat. I V.

Potest enim Apostasia lato sensu accepta contingere, cum vel in moribus vel in fide sit defectus & prolapsus à D E O ejusque patefacto verbo, quomodocunque vel quacunque etiam occasione aut ratione, quæ pro personarum locorum atque temporum circumstantijs potest esse varia.

## V.

Apostasiam in genere committunt, quotcunque in utramque decalogi tabulam delinquant. Tales enim in moribus à lege Domini deficiunt, cujus criminis totum mundum reum peragit Regius Propheta, etiam eos, qui extra Ecclesiam vivunt. *Pf. 14, 2.* de eo verò hic non agitur. Loquitur enim Apostolus de ijs, qui sunt in gremio Ecclesiæ, quique fundamentum fidei tenuerunt

## VI.

Nullius igitur, etiam mortaliter peccantis gravanda est conscientia hoc Apostolico fulmine, quasi renovari & in gratiam cum DEO redire non possit; nam à transgressionibus legis Apostolus noster hoc peccatum expressè sequestravit institutâ antithesi inter violatores legis Mosaicæ, & conculcatores Christi, *cap. 10, 28, 29.*

## VII.

Ergo peccatum hoc impingit non directè in doctrinam legis, sed evangelij; ubi vero iterum ingens sese offert *ἀνομία* & apostatarum discrimen: ubi itidem diligente cautione opus est, ne periculosi conscientijs nectantur laquei.

## LX.

Reperiuntur enim qui à fide deficiunt, sed non in fundamento, verum





verum circumstantiâ aliqua fidei, in ritibus, & similibus, substantiam fidei non convellentibus: hos, pereuntibus omnibus, servari dicit Apostolus tanquam per ignem, 1. Cor. 3. Apostolus autem de ijs agit, qui à fundamento fidei prolabantur.

I X.

Sunt qui à fundamento quoque fidei deficiunt, sed ignorantes, qualis erat Apostolus Paulus 1. Tim. 1. vers. 13. & Judæi crucifigentes JESUM, teste Apostolo 1. Cor. 2. v. 8. Tales autem rectius blasphemii, quam apostatæ dicuntur: Apostasia enim erroris est agniti.

X.

Sunt alij qui à vera fide prolabantur, licet eam nondum verè fuerint amplexi, veram tamen esse sciverunt, quemadmodum de Pseudoprophetis scribit D. Petrus, quod Dominum abnegent, qui eos mercatus est. 2. Pet. 2, 1. in eum tamen Dominum nunquam verè crediderant.

X I.

Sunt alij, qui veritatem fidei cœlestis quidem agnoverunt, sed notitia nondum satis confirmata, verum titubante conscientia: unde facilis & proclivis est prolapsus. De his etiam nihil habet Apostolus noster. Agit enim de ijs, qui fuere ante lapsum illustrati vers. 4. id est, in fide confirmati, quique donum cœlestis gustaverunt, id est, in quibus Christus fidem obsignavit.

X II.

Sunt etiam qui veritatem agnitam abnegant, sed metu imminentis periculi, ubi voluntas non amplius est libera sed coacta: qualis erat apostasia Petri, eorumque, quos Paulus, cum adhuc esset Saulus, blasphemare compulit, Act. 26, 11. quorum blasphemia & abnegatio cum non proveniat ex obstinatâ malitiâ, sed contra animi sententiam, extorqueatur, ideo neque contra hos locus hic interpretandus est: cum de voluntariè peccantibus agat Apostolus, quemadmodum infra semetipsum declarat cap. 10.

X III.

Sunt denique qui in quibusdam fortasse fidei articulis rectè sentire videntur, alios autem abnegant & hostiliter impugnant, licet jam ante agnitos, & pro veritate cœlesti semel receptos: quales terè sunt hæretici & hæresiarchæ errores suos pertinaciter defensores, quos propterea *ἀποσταταί* nominat Apostolus Tit. 3, 10.

De





## XIV.

De his etiam propriè non agit Apostolus hoc loco; sed de illis, qui Totum fidei fundamentum abnegant, ita ut prolapsus ille, cuius meminit *v. 4.* non tantummodo ad partem rerum antecedentium *vers. 2.* aut ad tempus unum & singulare aliquod factum restringatur, sed ad totum complexum doctrinæ Catecheticae, paulò ante commemoratæ atque sic prolapsus universalis sit.

## XV.

Nam membra membris utrobiq; correspondent: Resipiscentiæ, illustratio, hoc est, à tenebris & morte ad vitam revocatio; Fidei in DEUM cœlestis doni gustus: fides enim DEI donum est. Doctrinæ Baptismatum Spiritus S. participatio, qui in Baptismo nobis donatur tanquam arrha hæreditatis ut appellatur, *Eph. 1.* Impositioni manuum gustus verbi DEI. Hoc enim alimentum eorum est, qui confirmandi sunt in fide, quæ ex verbo gignitur eodemque alitur. Resurrectioni denique & iudicio æterno, gustus virtutum futuri seculi: has enim pij in hac vita spe gustare & ad finem usque hac spe sustentari solent, unde spe salvari dicimur. *Rom. 8, 24.* & jam nunc esse Filij DEI, *1. Ioh. 3, 2.*

## XVI.

Quod si ergo secundum rei veritatem loqui velimus, non possumus ex hoc loco damnare, nisi eos, qui totalem perpeffi sunt prolapsus, ad quem tria requiruntur requisita; nimirum ut *Toti*, ut *de Toto*, ut *in Totum* decidant: tales qui sunt, his demum omnis veniæ ac reconciliationis aditus præclusus est.

## XVII.

*Toti* decidunt, qui scientes & volentes deficiunt tota mente atque voluntate, non coacti sed lubentes, neque ex ignorantia nec ex infirmitate sed destinatâ malitiâ semetipsos devoentes carnis suæ libidini.

## XIIII.

*De Toto* decidunt, qui non unum vel alterum fidei Christianæ caput, cui in sacrosancto Baptismo fidem dederunt, malitiosè abnegant, sed universum corpus doctrinæ adeoque totum fundamentum fidei Christianæ scientes volentes deserunt & nequiter impugnant.





XIX.

*In Totum* denique decidunt, qui adeo malitiose contumaciterque obfirmarunt animum, ut DEUM non modo blasphemare, fidem abjurare, Spiritum sanctum contristare, sanctos Angelos fugare pergunt, sed in isto proposito perseverare præsumunt, ut quo ad ejus fieri potest, quantumque in ipsis est, Majestatem DEI omniaque Christianæ fidei capita magis magisque ludibrio exponant.

XX.

In quocunque ergo homine hæc omnia simul concurrunt, ibi proprie loquendo apostasia est, specialissime sumta, de qua Apostolus noster hic loquitur: quæ nihil est aliud, quam tale crimen, cum à DEO ejusque verbo, totoque fidei Christianæ fundamento scienter volenter cum blasphemia nominis divini & pertinacia stupenda deficitur.

XXI.

Hi nimirum tales sunt, de quibus & bona & mala prædicat Apostolus noster: Bona quod fundamentum fidei habuerint, quod illustrati à DEO fuerint, quod donum cæleste gustaverint, quod Spiritus S. participes fuerint, quod bonum DEI verbum virtutesque venturi seculi gustaverint: Mala; quod prolabantur, quod *rursum* crucifigant sibimetipsis Filium DEI (ergo Christus pro his perditis hominibus crucifixus erat) quod Christum cum omni suo merito ad ignominiam exponant, & quod denique justo DEI judicio renovari non possint ad pœnitentiam, sed in impœnitentiâ malitiâque suâ æternum perire necesse habeant.

XXII.

Ea vero impossibilitas non est de simplici necessitate, sed est impossibilitas causæ, quia nimirum peccatum illud adjunctam habet indurationem & finalem impœnitentiam, perpetuamque obstinationem & pervicaciam, quam tandem finalem interitum sequi necesse est, quia verbum DEI meritumque Christi tanquam salutare conversionis medium peditus proculcatur.

XXIII.

Interim verò DEUS potest pro infinita sua bonitate ejusmodi  
B quoque





quoque peccatorem convertere ac renovare licet, apud homines sic impossibile, quemadmodum de divitibus differens Salvator ait: Difficile esse divites regnum cœlorum ingredi, idque mox enarrans addit: quod apud homines impossibile, id possibile esse DEO, *Matth. 19, vers. 23, & 26.*

#### XXIV.

Etsi vero propriè hic de lapsu universali agatur, ubi totum fundamentum Fidei Christianæ contra conscientiam & cum blasphemia abnegatur: Attamen magnam habet cognationem particularis quoque prolapsus, quando ab uno vel altero fidei Christianæ capite sit petulans ac malitiosa *disputatio* cum finali blasphemia conjuncta.

#### XXV.

Nam fides est una copulativa, & quemadmodum in peccatis contra legem, qui in uno delinquit, reus est omnium: ita qui unum articulum fidei in fundamento negat, fieri non potest, quin in cæteros etiam, licet sæpe aliud agens impingat, eò quod articuli fidei singuli ac universi non secus ac annuli in aurea quadam catena cohererent.

#### XXVI.

Ex quibus omnibus intelligitur, hanc Apostasiam, de qua noster agit Apostolus, idem esse scelus, quod SALVATOR nominat peccatum in Spiritum sanctum, quodque nihil aliud est, quam voluntaria & pertinax abnegatio cum hostili oppugnatione & blasphemia conjuncta.

#### XXVII.

Idque irremissibile appellat *Matth. cap. 12, vers. 32.* eodem planè modo, quo Apostolus noster ejusmodi peccatores ad pœnitentiam renovari & pro peccato hostiam habere negat *cap. 6. & 10.* Propter conjunctam finalem impœnitentiam, quæ inde elucet, quod organum conversionis ordinarium abjiciant, & in mentem reprobam traditi justo DEI judicio, scientes volentesque interire, quam ad frugem redire malint: qua de re vide plura disput. 12. in artic. Schmalkald. Thesi 57. & sequentibus. *Ista hoc in loco* *de eo magis* *sufficiant.*

PARS



## PARS ALTERA.

**H**Actenus cur doctrinam Catechetica[m] apud Hebræos repetere nolit, indicavit, ostendens simul ad quos ea planè non pertineat: nunc doctrinam perfectior[m] rem ipsis proponendam esse docet. Majorem propositionem argumenti suaviorij in præcedente parte habuimus, hoc ferè sensu; Qui vel fundamentum fidei abnegarunt, vel in eodem constanter perstiterunt, his perfectiora in fide Christiana sunt proponenda. Jam subjungit Minorem *vers. 9.* De vobis, ô Viri Hebræi, confidimus, quod nec fundamentum fidei abnegaveritis, & quod potius in eodem constanter perstiteritis. Ergo perfectiora & sublimiora vobis sunt proponenda. Quemadmodum igitur priori parte majorem propositionem tractavit & illustravit; ita nunc eodem artificio tractat adsumptionem, ostendens 1. Unde hanc suam de Hebræis habeat persuasionem, nimirum ex manifestis signis & testimonijs bonorum operum, quibus de fide sua palam contestabantur, tanquam ex salutari fructu de imbri gratiæ divinæ non frustra accepto, de quibus agit *vers. 10.*

2. Causam efficientem istorum operum, quæ non in viribus humanis, sed in solo Deo quærenda est, unde infert; Deum, qui dedit ipsis initium fidei, quiq; facultatem largitus est, hanc fidem operibus sanctis ostendendi, illum deinceps sui non obliturum, sed bonum illud opus in ipsis continuaturum esse: Unde de ipsorum constantia spem sanè optimam concipere poterat.

3. Ne verò existimarent, D E U M obligatum esse hominibus ad donum constantiæ, quodcunque tandem facientibus, addit *vers. 11.* seriam exhortationem ut & ipsi studeant, quisque pro virili sua in stadio fidei Christianæ ita currere, ut in fide confirmari possint in dies, spemque hæreditatis retineant inconcussam, nec ullis adversitatum procellis eam sibi eripi patiantur; sed potius incitato cursu pietatis in medijs tribulationibus imitatores fiant eorum, qui fide ac patientia hæreditatem promissionis fuere consecuti *vers. 12.* Quæ elegans descriptio sanctorum est, prout in hac vita sunt hæredes vitæ æternæ, quam spe possident, unde & spe salvifacti dicuntur *Rom. 8.* Hic enim dum adhuc in via sumus per fidem rei





veritas tenenda, per patientiam adversitas vincenda est. Respi-  
cit autem ad sanctos & fideles Veteris Testamenti inter quos Ab-  
rahamum Patrem illum credentium exempli loco producit, qui  
D E I promissionem de multiplicatione seminis sui & imprimis be-  
nedicto illo semine ex lumbis suis oriundo, magna fide tenuit, &  
ejus complementum inter ærumnas varias summa cum patientia  
expectavit, quemadmodum historia, ad quam digitum intendit A-  
postolus, descripta est *Gen. 12. 17. & 22.*

4. Ab hoc exemplo Abrahami alterum argumentum petit suæ  
persuasionis de Hebræorum in fide constantia, nimirum à juramen-  
to D E I, quod præstitit hæreditatem suam fideliter & patienter ex-  
pectantibus. Abrahamo enim non tantum promisit hæredita-  
tem, sed & juramento per semetipsum facto confirmavit. Ita e-  
nim dicit ad Abrahamum *Genes. 22. vers. 16.* Per memetipsum ju-  
ravi, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio  
tuo unigenito propter me, (id quod erat signum fidei & patientiæ  
in Abrahamo) benedicam tibi & multiplicabo semen tuum, ad  
quod D E I juramentum provocat Zacharias Baptistæ parens  
*Luc. 1.* Utitur autem apud Mosen vocabulo adseverandi Hebræis  
usitato, Amen, *certè benedicam tibi* & quod Apostolus noster expri-  
mere voluit in Græca voce *ἀμὴν* ut nonnulli legunt, vel ut habent  
alij codices *ἢ ἢ* nisi, quæ particulae apud Hebræos etiam vim juran-  
di habent, & adhibentur suspensa & inexpleta sententia, ut *Psal. 95.*  
juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam; & *Esa. 22.* si di-  
mittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini; ubi semper sub-  
intelligitur per aposiopesin, *non sim is, qui sum, non vivam, non sim*  
*DEVS, &c.* Hanc ergo D E I consuetudinem esse docet Aposto-  
lus, ut non tantum promittat benedictionem, sed ex abundantia  
immobilitatem consilij sui juramento confirmet promissionis hæ-  
redibus, hoc est in fide & patientia expectantibus *vers. 17.* Idque  
in hunc finem, ut consulat infirmitati nostræ duabus rebus immu-  
tabilibus, D E I promissione & addito insuper juramento; ne quid-  
quam fiat reliqui, quo spes hæreditatis nostræ confirmetur, quam  
tanquam ancoram fidei habemus in omnibus ærumnarum tempe-  
statibus, ne animæ naufragium patiamur, donec ingrediamur intra  
velum tabernaculi non manu facti, hoc est, gloriæ ac vitæ æternæ,  
ad quod C H R I S T U S Pontifex noster secundum ordinem Mel-  
chise-



chisedec jam ingressus est, paraturus nobis locum *vers. 18, 18, 20.*  
Ex his omnibus, quæ magno spiritu & artificio planè divino pro-  
posuit Apostolus noster, tale format argumentum suæ de Hebræo-  
rum constantia persuasionis: si hominis juramento tanquam fini  
omnium controversiarum fides habetur, nec de facto promisso  
quidquam dubitatur, quantò magis DEO per semetipsum jura-  
ri, quo nihil majus est, fides erit habenda. Sed prius ita se habe-  
re adfirmat Apostolus *vers. 16.* Ergo posterius quoque negandum  
non est: unde infert promissionem Hebræis, ut & omnibus æter-  
næ vitæ hæredibus, factam atque juramento confirmatam, nequa-  
quam fore irritam: ac proinde pro talibus ipsos habendos, qui in  
fide Christi permanentes idonei sint, quibus sublimiora fidei my-  
steria de Christo proponantur.

## T H E S E S.

### De Juramentis.

#### I.

**I**nter alia, quæ hac in parte in controversiam venire possunt, est  
locus de juramentis. An & Quatenus ea præstare liceat. Nam  
& ad DEI juramentum provocat Apostolus & omnium contro-  
versiarum, quæ inter homines exoriri possunt finem juramentum  
nominat *vers. 16.*

#### II.

Est autem juramentum asseveratio rei legitimæ, in qua DEUS  
ipse testis invocatur & vindex atque ultor contra mentientem  
appellatur.

#### III.

Tria igitur continet juramentum. 1. *ῥάσις* seu asseveratio-  
nem nudam negotij. 2. *Ἐπιμαρτυρία* testimonium numinis divini,  
quod fallere nescit. 3. *Κατάρα* execrationem sui ipsius, aut vindi-  
ctæ divinæ evocationem, si jurans fallat.

B ;

Pri-





An juramen-  
ta sunt licita.

#### IV.

Primum omnium autem videndum est, num Christiano homini jurare liceat, & quidem hoc pacto, ut DEUM vel testem dictorum, vel vindicem mendacij invocet: Sunt enim, qui id licitum esse negant, propter illud CHRISTI, *Matth. 5.* Ego dico vobis nolite jurare omnino, sit sermo vester, Est, est, Non, non. Sunt etiam inter veteres, qui juramenta omnia, tanquam rem illicitam, simpliciter rejecerunt, non modo inter hæreticos ESSENI & BASILIDEI, de quibus Eusebius consulatur *lib. 9. preparat. Evangel. cap. 11. & lib. 6. histor. Eccles. cap. 4.* Verum etiam inter Orthodoxos alioquin Patres, ut Athanasius in *Orat. de passione & morte DOMINI.* Chrysostomus *homil. 7. ad populum Antiochenum.* Gregorius Nazianzenus in *libro Cygneorum carminum, &c.*

#### V.

Sed ut & veritati feratur patrocinium & conscientijs hominum consulatur, nos pro assertione affirmativæ sententiæ talem proponimus Syllogismum:

Quod 1. in sese pium est.

2. Quod proximo utile.

3. Quod divinitus præceptum.

4. Quod à DEO ipso.

5. A CHRISTO DEI Filio.

6. Ab Angelis.

7. A Patriarchis.

8. Ab Apostolis usurpatum.

9. Quod denique à Christo in alijs toleratum: id sane in sese est licitum.

Tale est juramentum, in nomine DEI præstitum.

Ergo, &c.

#### VI.

I. Pietas jurisjurandi inde patet, quod originem suam habeat ex recta fide in DEUM. Fatentur enim jurantes, omnia DEO esse comperta: Fatentur etiam ipsum esse veritatis amantem & vindicem perjurij, nomen etiam DEI extollunt, quæ est præcipua pars cultus divini. Nam qui jurant, faciunt hoc per illum, qui major



major & excellentior ipsis est, inquit Apostolus noster, *vers. 16.*  
Summa: Juramentum legitime præstitum est seria invocatio no-  
minis divini & attestatio veritatis, quæ duo capita ad secundum  
& octavum decalogi præceptum pertinent, atque sic præcipuam  
cultus divini partem constituunt.

## VII.

II. Utilitatem proximi juvant juramenta, quia in litibus am-  
biguis etiam tum, cum in casu necessitatis magistratus opera uti  
non est integrum, juramentum quasi *ἀμωθησιον* est partis innocen-  
tis, unde & ab Apostolo nostro finis controversiarum nominatur  
*vers. 16.*

## VIII.

III. Præcipiuntur divinitus *Exod. 22, vers. 8. & 11. Si la-  
tet fur Dominus domus applicabitur ad Deos (magistratum)  
& jurabit, quod non extenderit manum in rem proximi sui: &  
iterum: Juramentum erit in medio, quod non extenderit ma-  
num ad rem proximi sui.* Sic *Deut. 6, vers. 13. cap. 10, vers. 20.*  
expresse præcipitur, ut per nomen Dei juretur: quæ omnia ne quis  
more Anabaptistico ad Vetus Testamentum tantum referat, videat-  
ur quid de temporibus Novi Testamenti hoc in genere prædixerit  
Dominus *Esa. 19, vers. 18, & 65, vers. 16.*

## IX.

IV. DEUM ipsum jurasse adfirmat Apostolus noster, *vers. 17.*  
& quidem per semetipsum ut iterum Apostolus dicit *vers. 13. ex Esa.  
45, vers. 22. & Genes. 22, vers. 16.* cum majorem se invenire non pos-  
set, quod *ἑξωθίστατον* vocavit Philo, ut cum juravit per animam  
suam *Amos 6, vers. 8. Jerem. cap. 5, vers. 14. Per vitam suam Num. 14,  
vers. 21. Deut. 32, vers. 40. Ezech. cap. 33, vers. 11. per sanctitatem suam,  
Psalm. 89, 36. Amos 4, 2. In ira sua, quam nimirum minatur ijs addito  
juramento, qui audire ipsum nolint. Psalm. 95, vers. 11.*

## X.

V. CHRISTUM jurasse testantur exempla Novi Testamenti  
*Iohannis 16, 20, & 23, 14, 12. Matth. 5, 18. Marc. 3, 28:* Quibus in locis  
Salvator utitur formula asseverandi Hebræa Amen, qua aliquid  
quasi





quasi interposito juramento affirmatur & asseveratur, juxta illud  
*Esa. 65, 16.* Qui benedixerit sibi in terra, benedicet sibi in DEO  
Amen: & qui juraverit, jurabit in Deo Amen.

XI.

VI. Juramenti Angelici testimonium extat *Apocal. 10, 5, 6.* ubi  
dicitur, quod Angelus levavit manum suam ad cœlum & juravit  
per viventem in secula seculorum, creatorem cœli & terræ. Hoc  
enim gestu levationis manus Deus *ἀνθροπον. Δὲς* loquendo usus est,  
qui juravit, ut apparet ex *Esa. 62, vers. 10.* ut ostenderet, quoniam  
manum & mentem intendere debeant jurantes, nimirum sursum  
ad conditorem cœli & terræ conscium mentium & secretorum  
omnium.

XII.

VII. Exempla Patriarcharum, qui & ipsi juraverunt, & ab alijs re  
ita exigente juramenta poposcerunt, passim extant in *Genesi Mosai-*  
*ca cap. 14, 22: 21, 23: 24, 3. &c.*

XIII.

VIII. Apostolicorum juramentorum exempla suppeditat Apo-  
stolus Paulus *Rom. 1. vers. 9.* Testis est mihi DEUS, *2. Corinth. 1, 23.*  
Testem invoco DEUM in animam meam. *1. Thessal. 2, vers. 5.* DEUS  
mihi testis: quibus in locis non tam vox, quam natura jurisjurandi  
verè exprimitur.

XIV.

IX. Denique toleravit CHRISTUS juramentum & obtestatio-  
nem Caiphæ, non sprexit ut rem malam, sed paruit obtestanti: haud  
dubie non facturus si jurare aut per juramentum obtestari rem pu-  
tasset illicitam.

XV.

Ex his omnibus igitur satis superque convincitur, juramen-  
tum in se esse rem licitam hominiquè Christiano nequaquam inter-  
dictam, modò non accedat levitas & temeritas, neque fiant jura-  
menta per res leviculas, per creaturas aut idola, quibus respectibus,  
*Matth. 5.* Juramenta prohibuit. Oportet enim juramentum ut rem  
sacram cultusque divini partem non postremam non leviter aut ri-  
diculè sed religiosè pieque tractari,

Jam



### XVI.

Jam vero porro sciendum est, quando homini Christiano ju-  
randum sit, nimirum quodocunque Necessitas postulat, & quan-  
do juramentum quod vel imponitur, vel sponte suscipitur, est le-  
gitimum. *Quando sit  
jurandum.*

### XVII.

Necessitas illa his verè quatuor modis contingere potest.

### XIIX.

Primum enim juramento opus est inter Magistratum & sub-  
ditos, qui invicem sese obligant ad præstandam fidelitatem: cum  
subditus Magistratui obedientiam & culturam, Magistratus sub-  
dito fidem, amorem & defensionem promittit, ut fit in homagijs &  
hoc est *juramentum Fidelitatis*.

### XIX.

Tali quoque juramento utuntur, qui aliis, quibus præficiun-  
tur, fidelitatem promittunt in officio, quemadmodum Paulus fe-  
cit *Philip. cap. 1. vers. 8. Testis mihi DEVS est, quod omnes  
vos esse cupiam in visceribus IESV CHRISTI:* & tale ju-  
ramentum vocat Suidas *ἐπιμωγοῦν* cum quis ad jusjurandum se of-  
fert, aut aliàs assertionem religiosa obtestatione confirmat.

### XX.

Deinde juramenta locum habent cum Magistratus veritatem  
inquirat, quam alia ratione indagare non potest, quam imposito  
uni vel alteri parti juramento; quam ob causam Apostolus noster  
juramentum finem controversiarum vocavit. Et hoc nomina-  
tur *juramentum veritatis*; Suidas vocat *ἐπιμαρτυρία* *injunctum & impera-  
tum*.

### XXI.

Tertio interdum insignis DEI gloria & Ecclesiæ necessitas,  
veraque religionis ac cultus divini promotio, quin & publica Rei-  
publicæ tranquillitas juramentum exigit, quo quisque suam in ne-  
gotijs religionis explicat sententiam: Quo pacto populus DO-  
MINI temporibus Afa Regis Iuda juravit DOMINO: quod vel-  
let





let colere DEUM. 2. Paralip. cap. 15. & Jojada Sacerdos juramento obligavit regem & totum populum, ut essent populus DOMINI, 2. Paralip. cap. 23. Esdras quoque adjuravit principes Sacerdotum & Levitarum, ut facerent secundum verbum DOMINI, & ipsi juraverunt, Esd. 9. Idque *juramentum religionis* vulgo appellatur & ad *ἐπιτάχια* referendum est.

XXII.

Denique proximi infirmitas & singularis utilitas religiosam promissorum contestationem requirit, ut sit in pactis & foederibus, cujus rei exempla extant *Genes. cap. 21, vers. 30.* In foedere seu contractu inter Abrahamum & Abimelechum, *Genes. cap. 26, vers. 31.* Inter Isaacum & Abimelechum, *Genes. cap. 31, vers. 53.* Inter Jacobum & Labanum, 1. *Samuel. cap. 20, vers. 3.* Inter Jonathan & Davidem, &c. Et tale juramentum vocatur usitate *juramentum Calumnie* Demosthenes nominat *δυσμεσιον*. Suidas *κατάμωτον*, cum contrahentes vel paciscentes utrinque se obligant & ultro citroque se ad servandam fidem devinciunt, dato Sacramento.

XXIII.

Porro Legitima juramenta semper sunt Necessaria, sed non omnia quæ Necessaria semper sunt Legitima: Fieri enim potest, ut vel in forma vel materia peccetur; ideoque operæ precium est paucis in Legitimam juramentorum rationem inquirere.

XXIV.

- Ut igitur juramentum sit Legitimum respectu materiae hæc 4. attendenda sunt:
- Legitimi juramenti requisita.*
1. Ut res de qua jurandum est non sit dubia, sed certa. Nam in incertis aut futuris contingentibus ne quidem Categoricalis promissio, ne dum jurata obtestatio locum habere potest nisi sub conditione.
  2. Ut res non sit levicula sed ardua, aliàs fieret nominis divini prophanatio.
  3. Ut res sit honesta, licita & justa, nihil continens contra pietatem aut bonos mores.
  4. Ut res sit possibilis, ad impossibilia enim nemo obligatur; & talia



alia juramenta à volentibus profecta cum temerarijs & levibus pari passu ambulant.

### XXV.

Ratione formæ videndum est: 1. Ut persona jurantis habilis sit ad jurandum. Nam jurare non possunt, quibus sanum deest judicium quales sunt infantes, pueri, ebrij, amentes, à quibus nomen DEI jurejurando pollueretur potius quam extolleretur.

2. Ne juramentum sit coactum sed voluntarium & cum pleno consensu factum.

3. Ut verbis constet perspicuis non flexiloquis & ambiguis. Hoc enim esset DEUM ludere, non colere.

4. Fiat in nomine rei præstantissimæ, ut vult Apostolus noster, id est, in nomine solius DEI, quo nihil est præstantius.

### XXVI.

Has condiciones in compendium contraxit *Ierem. cap. 4, v. 2.* *Jurabis, inquit, Vivit DOMINVS in veritate, in judicio, in justitia.* Veritas excludit levitatem, ut qui jurat rei, quam asseverat, bene gnarus sit, nec leviter aliud loquatur, aliud sentiat. Judicium requirit discretionem & *et cetera* ne coactus juret. Iustitia denique ut res sit justa, honesta, pia atque licita.

### XXVII.

Quæcunque ergo juramenta cum his conditionibus non consentiunt, pro irritis, imò pro non-juramentis habenda sunt, ac proinde rescindi debent, quale erat juramentum Herodis, *Marc. 1. vers. 25.* Qualia sunt juramenta & confæderationes improborum contra bonos mores: juramenta enim non debent esse vincula iniquitatis ut & ea, quæ armant subditos in Magistratum, aut ubi leges Magistratus & extorta juramenta armant subditos in propriam conscientiam: ubi locum habet illud Apostolicum: *Oportet DEO plus obedire quàm hominibus Actorum cap. 5.* Et tritum illud alterum, *quod injustè jurasti, jure rescindas.*

C. 2

Hoc



## XXIIX.

Hoc pacto David etiam nisi ex iracundia juraverat, se interfec-  
turum Nabalum, tamen mutavit consilium *1. Samuel. cap. 25.* Et  
Saul licet mortem jurasset Jonathæ ex imprudentia: tamen in-  
stante populo mutavit animum *1. Samuel. cap. 14.* Communis enim  
regula est hoc in genere: quod per imprudentiam juratum est, &  
cum error est cognitus, conscientiam lædit, & DEUM proximum-  
que offendit, non est servandum, ne fiat juramentum vinculum  
iniquitatis.

## XXIX.

Illegitima quoque sunt juramenta, quibus obstringuntur im-  
puberes in Papatu præstantes vota religionis: quæ præterquam  
quod sæpenumero ab invitis & rem tanti momenti non satis ex-  
pendentibus extorquentur: insuper in materia quoque peccant  
gravissimè, quod ordinem à DEO institutum, id est, conjugium  
abjurant, quodque ad talia se obstringunt, de quibus in consci-  
entia sunt convicti, quod servare ea non possint, atque sic & inho-  
nesta, & ordinationi DEI contraria, & sibiipsis impossibilia ju-  
rant, sine judicio, sine assensu, repugnante sæpe voluntate atque  
conscientia. Quam ob causam tale votum tanquam omnibus  
suis partibus illegitimum jure legitimeque rescindi potest imò  
debet.

## XXX.

In hunc censum juramentorum illegitimorum etiam refe-  
rendum est juramentum, quod fit per sanctos in Papatu: est enim  
juramentum attestatio nominis divini non sanctorum, pars cul-  
tus soli DEO debiti nimirum invocationis, ergo non sine ido-  
latria ad sanctos referretur. Adde quod in juramento DEUS  
advocatur testis omnium eorum, quæ fiunt aut dicuntur, & invo-  
catur vindex mentientium, id vero sanctis tribuere impium plane  
& absurdum esset, quin & assertioni Esaia cap. 64. profus con-  
trarium.

## XXXI.

Quam ob causam cultus solius DEI & juramentum con-  
junguntur *Deut. cap. 6.* Quando jubemur DEUM solum cole-  
re,



re, & per nomen ejus jurare: vicissim autem cum interminatione pœnarum reprehenduntur, qui vel per idola solum, vel simul per DEUM & Idola jurant, *Ierem. cap. 5. vers. 7.* Filii tui dereliquerunt me, & jurant in his, qui non sunt Dij. Et *Sophon. cap. 1. vers. 5.* Disperdam eos, qui jurant in DOMINO, & jurant in Melchom.

### XXXII.

Quin & CHRISTUS Salvator in Novo Testamento expresse prohibuit jurare per Creaturas, *Matth. cap. 5. vers. 35.* Quando dicit: *Non jurate omnino, neque per cœlum, qui thronus DEI est, neque per terram, quia est scabellum pedum ejus, neque per Hierosolymam, quia est civitas magni Regis, neque per caput tuum juraveris, &c.* inquem locum scribit ita Hieronymus: Non prohibet, ne juremus, sed ne juremus per creaturas.

### XXXIII.

Quod autem legitur *Genes. cap. 42. vers. 15.* Josephum jurasse per salutem Pharaonis, non fuit ea aulica adulatio, quasi juraverit Joseph per vitam sui regis, quemadmodum Romani per genium principis Romani, quemadmodum vult Calvinus: neque etiam juramentum fuit religiosum; sed civilis tantum & domestica obtestatio, qua solemus in vulgari usu ad faciendam fidem assertioni nostræ res nobis carissimas veluti pignora interponere.

### XXXIV.

Ejusmodi asseverationes & obtestationes per creaturas citra injuriam creatoris sæpe factæ sunt à sanctis, ut quando Moyses Israelitas obtestatur per cœlum & terram *Deut. cap. 30. vers. 19.* & Elisæus ad Eliam ait: *Vivit DOMINUS, vivit anima tua, non deseram te, 2. Reg. cap. 2. vers. 4.* & D. Paulus per gloriam Corinthiorum jurat, *1. ad Corinth. cap. 15. vers. 31.* Et hodieque (modo absit levitas) citra peccatum similes formulæ obtestandi retineri possunt, per fidem, per existimationem, per vitam nostram, & quæ sunt hujus generis alia.

C 3

Quod





XXXV.

Quod autem Laban Ethnicus jurat Jacobo per nomina idolorum, *Genes. cap. 31.* Notandum est, quod hac de re scribit Augustinus in Epistola ad Public. posse fideles juramentum cum opus fuerit, sumere ab infidelibus sub nomine idolorum, non quasi rectè juraverint idololatrà, sed quia alioquin nulla pax aut induciæ cum ipsis fieri possunt.

XXXVI.

Quod si ergo juramentum juxta conditiones supra præscriptas Legitimum est, ibi sanè sanctè illud servandum est, neque committendum, ut vel vi vel dolo illud dirumpatur. Nam DEUS in testimonium semel advocatus non fallit neque fallitur, sed erit testis velox perjuris *Malach. cap. 3.* & maledictio veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, inquit Dominus *Zachar. 8.*

XXXVII.

Levitatem quoque in juramentis non impunitam sinit DOMINUS; ea enim sine profanatione Nominis divini non est, unde scriptum est: *Si quis jurat, & non intelligit, nihilominus tamen peccat: si autem intelligit, jam dupliciter reus est, Sirac. 23, vers. 13.*

XXXIIX.

Juramenta  
levia.

Illa vero levitas dupliciter fieri potest: 1. Vel cum absque causa ex mala quadam adsuæfactione juratur, vel ut magna videantur dicta, vel ut incauti simplicesque decipiantur, de qua mala adsuætu dine Tertullianus ait in lib. de Idololat. *Consuetudinis vitium est, me hercle jurare.*

2. Vel cum aliud ore juratur, aliud corde sentitur, quod hominum nequam est, & quondam peculiari sectæ Priscillianistarum fuit, qui ad quemvis auræ flatum se accommodare, jurare, & peiorare laudi duxerunt, & ut præcipuum suæ religionis articulum habuerunt.

Contra



XXXIX.

Contra utrumque vitium est illa CHRISTI admonitio, *Matth. cap. 5. vers. 37.* Sermo vester sit, est, est, non, non, id est, ne sitis versipelles, qui ex uno ore calidum & frigidum proflare possint, nihil agatis dolosè aut futiliter, sed candidè & aperte, graviter & constanter omnia: ne sitis ex illis, qui simul & *veri* & *com* loquuntur, ut est apud Divum Paulum *1. Corinth. 1. vers. 17.* Sed sermo vester sit simplex veritatis & candoris amans, ut dicta vestra tam sint rata, ac si essent juramentis confirmata.

XL.

Sed hæc de juramento paucis attigisse sufficiat; cætera plenior tractatum requirunt: Illud tamen Colophonis loco sicco pede prætereundum non est, quomodo DEUS hic jurare dicitur, cum tamen DEI verba quo ad certitudinem à juramento nihil differant, sed omnia ipsius verba juramenta sunt, legesque divinæ juraque sacratissima?

XLI.

Ubi sciendum est hæc & similia de DEO dici more humano, quemadmodum & pœnitere, recordari irasci dicitur, non quidem secundum rem, sed secundum existimationem hominum. Nam ut Philo habet libro de Cain & Abel, quia maxima ex parte adfines sumus rerum mortalium, nec sine harum admixtione cogitare quicquam possumus; sed induti rebus mortalibus tanquam cochleæ, eisque in morem earum involuti, easdem de illa beata immortalique natura, quas de nobis notiones habemus, verbis quidem negantes DEUM humanâ formâ & affectu esse, re autem ipsâ humanos affectus & mores ei tribuimus.

XLII.

Nam & manus ei adfingimus & pedes, & surgere & stare & ambulare, & odium, & iram, & furorem & pœnitentiam, affectus profecto nihil ad autorem istam summum pertinentes, in quibus & jusjurandum est, quo nostra sublevatur infirmitas. Hæc Philo.

Quapropter





Quapropter non est contra fidem Christianam, DEO tribuere juramentum, non enim jurat, ut credibilis fiat ipse dictum ex parte ipsius, sed respectu nostri, quò scilicet fidei nostræ imbecillitas corroboraretur,

Soli DEO gloria.





ULB Halle

3

003 142 353



56.


V 7 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

39 15

A.

TIO VII.

N

OLAM

BRÆOS,

λυσιν Capitis VI.

niã Vitebergensi,

gratia proposita

IDE

BALDUINO D.

Ecclesiæ P. & S.

ENTE

SCHMID

rgensi

i. Iunij.

ERGÆ,

Joan. Gorman.

OC. VIII.

